

Jakob Carpov

**Illustrationis Apologeticæ Peccati In Spiritvm Sanctvm Adversvs Iohannem Engestroem Svecvm ...**

**Specimen Secvndvm : De Peccato In Spiritvm Sanctvm Inchoato Et Consvmmato**

Vinariæ: [Iohann. Adam. Melchioris Vidua], MDCCXLVI.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862635314>

Band (Druck) Freier  Zugang





381

a. B.  
48. b. 8.

14.

Fa-1092 (14)

2.

3.

4.

6.

7.

8.


100.

9.

10.

11.


1.



ILLVSTRATIONIS APOLOGETICÆ  
**PECCATI**  
**IN SPIRITVM SANCTVM**  
 SPECIMEN SECVNDVM  
 DE  
**PECCATO IN SPIRITVM SANCTVM**  
 INCHOATO ET CONSVMMATO


AVCTORE  
**M. IACOBO CARPOVIO**

ILL. GYMNASII VINAR. DIRECTORE MATH. P. P.  
 REGIÆ BEROLINENSIS SOCIETATIS SCIENTIARVM  
 COLLEGA.



VINARIÆ MDCC XLVI

16  
10  
1  
14



LECTORI COLENDO

A. S.

I.

Institutum  
auctoris,



**I**llustrationem apologeticam peccati in Spiritum S. eamque oppositam Disputationi de Satisfactione Christi pro peccato in S. Spiritum, quam ad oppugnandam Theologiam meam Vir S. R. Joh. Engestræm Lundini Suecorum diulgavit, in superioribus Gymnasii solemnibus auspiciatus, specimine illius primo quidem diuersitatem peccati inchoati et consummati in Spiritum S., a Sueco nostro, inuita veritate, negatam, stabiliui denuo et vindicare coepi, omni autem ambitui vindiciarum vltimam manum imponere, obiectorum inanum copia impeditus, non potui. Quare dum ordinem doctrinarum Engestræmianum secutus, speciatim in defendendis gradibus peccati in Spiritum S., pessime negatis, substiti (Spec. I. §. 17. 18. 19), ab iisdem in præsentia initium faciam disputandi, ad discussionem reliquorum argumentorum deinceps progressurus.

II.

An gradus  
peccati in  
Spiritum S.  
nulli sine,

Scilicet confessim post verba, quæ nouissime enarraui atque explosi (Spec. I. §. 19), Vir S. R. Engestræm in disputatione, quam dixi (S. I.), pergit ita p. 16: Tantum itaque abest, diuersi modi oppugnandi officium Spiritus S., pro diuersis occasionibus, dari gradus peccati in Spiritum S., indicent, ex quo modi alii aliis sint atrociores, prout ait Vir Cl.,

Cl., ut potius aequae sint atroces omnes, atque singuli, utpote ex eodem fonte profecti pessimo, et in eundem finem pessimum collineantes. Reperio hic argumentum. directe mihi in diuersis gradibus peccati in Spiritum S. defensis oppositum, sed tale, ut per datam instantiam vnico ictu labefactetur. Concluditur ita:

quia omnes  
conueniant  
in fonte et  
fine?

Quaecunque ex eodem fonte pessimo proficiscuntur, et in eundem finem pessimum collineant, illorum vnum non superat alterum prauitatis gradu.

Sed diuersi modi, oppugnandi officium Spiritus S. in peccato contra Spiritum S., ex eodem fonte pessimo (puto, Virum Clar. intelligere intentionem, officium Spiritus S. impediendi) proficiscuntur, et in eundem finem pessimum (intelligit forsan impeditionem salutis hominum) collineant.

B. illorum modorum nullus superat alterum prauitatis gradu. Si verum est hoc argumentum, eodem modo, nullos generatim dari peccatorum gradus, quod Stoici olim defenderunt, contra Scripturam et communem omnium Theologorum doctrinam ostendam. Sub eadem enim maiore subsumo:

Sed omnia peccata ex eodem fonte pessimo (sc. peccato originali Iac. I, 14. 15.) proficiscuntur, et in eundem finem pessimum (imminutionem gloriae diuinæ Rom. II, 23. 24.) collineant.

E. Nullum peccatum superat alterum prauitatis gradu. Itaque aut conclusionem hanc concedet Vir S. R. licet effato Christi euidentiſſimo Ioh. XIX, 11. repugnantem, quod non faciet, spero: aut maiorem sui argumenti falsam esse, fatebitur: quo facto, conclusio mihi opposita non potest non irrita esse. Sed ex eadem causa, inquis, sequitur idem effectus; ergo maiori propositioni veritas inest. Limitandus est canon: Ex eadem causa, eodem modo determinata, sequitur idem effectus, quia ex causa eadem qua substantiam, sed diuersis modis determinata, v. g. e calore qua gradus varie determinato, diuersi effectus oriri queunt. Ita etiam licet diuersi modi, oppugnandi officium Spiritus S., ex eodem fonte pessimo, sc. intentione illud impediendi, proficiscantur, potest tamen aliud aliud prauitatis gradu superare, prout intentio illa modis diuersis determinata est; quod e statim sequentibus vberius adparebit.

### III.

Nimirum sequentia, quae mihi opponuntur, verba haec sunt p. 16: Si ex intentione malitia hac mensuretur, prout mensurari debet, atrocissimum peccatum est haec omnium

E 2

Et quia hoc  
peccatum est  
haec omnium



atrocissimum?

hanc esse, vel ex definitione Cl. Viri, superius allata §. 2, patet; atrocissimam et malitiam media semper atrocissima spectare, qua unquam dari poterint, negari omnino nequit. Inde peccatum in Spiritum S. omnium peccatorum est atrocissimum, h. e. peccatum in summo gradu, vix remissibile, et cuius ulterior non poterit dari gradus, quemadmodum superius in hac §. innuimus. Video in his sequentem foriten hypotheticum:

Si in peccato in Spiritum S. intentio est atrocissima, sequitur, vt malitia in eo atrocissima sit.

Nam ex intentione malitia mensurari debet.

Si malitia atrocissima est in peccato in Spiritum S., sequitur, vt media spectet atrocissima omnium.

Si peccatum in Spiritum S. spectat media omnium atrocissima, sequitur, vt sit peccatum omnium atrocissimum, h. e. peccatum in summo gradu.

Si peccatum in Spiritum S. est peccatum in summo gradu, sequitur, vt ulterior peccati gradus nequeat dari.

Addo conclusionem:

Ergo si in peccato in Spiritum S. intentio atrocissima est, vt est, ulterior peccati gradus dari nequit.

Ponam, omnia hæc ita se habere: quid tum? An facit hoc quidquam contra doctrinam meam de gradibus peccati in S. Spiritum? Ita est, inquis sine dubio: Nam

Si ulterior peccati gradus supra peccatum in Spiritum S. dari nequit, sequitur, vt in peccato in Spiritum S. nulli dentur gradus.

Nego consequentiam. Potest enim fieri, vt quod, cum aliis gradibus specificis comparatum, sub genere aliquo est gradus summus, id nihilominus in sua specie gradus accidentales admittat. Exemplum eiusmodi euidentis præbet vox in arte Musica. Huius enim licet sint gradus quatuor specifici, quos Itali Canto, Alto, Tenore, Basso adpellare solent, licet etiam horum quatuor graduum vltimus sit grauitatis ratione imus: nihil tamen hoc impediens, in imo hoc sono varii iterum sunt gradus accidentales, dum in illo alium ab alio vocis grauitate superari, experientia manifestum facit. Itaque licet intentio, impediendi regnum Christi et officium Spiritus S. quæ est in peccato in Spiritum S., comparata cum intentionibus in aliis peccatis, sit atrocissima, licet etiam ipsum peccatum in Spiritum S., comparatum cum peccatis aliis, sit atrocissimum omnium, nil tamen hoc impedit, quin in intentione, quæ est in peccato in Spiritum S., et in ipso hoc peccato iterum gradus, ii sc. quos antea declaratos dedi

(spec.

(Spec. I. §. 17.), inueniantur. Sed fugiunt hæc eum, qui in doctrina metaphysica de gradibus hospes est.

## IV.

Videat iam Vir Clar. quo iure superioribus addat conclusionem p. 16: *An vacillet distinctio inter peccatum inchoatum et consummatum in Spiritum S.?* Quandoquidem itaque, quod diximus de peccato in Spiritum Sanct. et *κατὰ τὸ πρῶτον*, ex Scriptura S. fuit, et *κατὰ διόνοισιν*, sequitur et necessario, distinctionem Cl. Viri, quicum agimus, inter peccatum in Spiritum S. inchoatum, et consummatum, vacillare; cuius iam non potest illum non poenitere. Vbi enim, quæso, quod Vir S. R. dixit contra me, fuit e scriptura *κατὰ τὸ πρῶτον*; vbi *κατὰ διόνοισιν*; Annon ostensum est potius, falsa esse omnia, quæ contra me in medium allata sunt? Itaque distinctio inter inchoatum et consummatum peccatum in Spiritum S. non tantum non vacillat, sed denuo stabilita et amplificata est.

## V.

Scilicet duplici sensu, vt constat e superioribus, *peccatum in Spiritum S.* potest inchoatum et consummatum dici, intensiue et protensiue. *Proteniue consummatum* est, si homo in illo moritur, vel si *ἀρισία* finalis cum illo sit coniuncta; *inchoatum* vero tantum, quam diu homo, qui reus istius est, adhuc viuitt, vel si *ἀρισία* temporaria tantum cum illo coniungitur (Spec. I. §. 15.). Contra intensiue inchoatum vel consummatum *peccatum in Spiritum S.* esse, oritur e gradibus illius. Potest igitur differentia constitui ita, vt *intensiue consummatum* sit, si quis in summo illius gradu versatur, *inchoatum*, si in gradu illius inferiore quodam; vbi tamen notandum, quod veluti infimus gradus lucis calorisue tamen lux et calor est, sic qui in infimo gradu peccati in Spiritum S. versatur, is tamen illius reus sit. Vt autem plenius capiantur definitiones, addo conclusiones sequentes: 1. Qui est in peccato in Spiritum S. intensiue consummato, non est ideo in protensiue consummato. Nam fieri potest, vt vitam adhuc agat naturalem. 2. Qui est in peccato in Spiritum S. protensiue consummato, non ideo est in intensiue consummato. Nam fieri potest iterum, vt in gradu eius quodam inferiore constitutus, vitam finiat. 3. Qui est in peccato in Spiritum S. protensiue inchoato, potest esse in intensiue consummato. Nam viuus homo ad summum gradum huius peccati ascendere potest.

## VI.

Sed a conclusione (§. 4.) iam denuo ad argumenta Vir Clar. regreditur, in statim sequentibus opponens ita p. 16. 17: *Quamquam enim singula peccatum in Spiritum S. con-*

summatur  
fit, quia ei  
pars essen-  
tialis deesse  
noqueat?

peccata suum habent initium, sive principium in fieri, secundum Apostolum Jac. 1, 14. 15. ex quo habitualis in homine vitiositas concipiens est, et gignens, vitiositatem actualem; tamen principium essendi peccatum quodcumque pro re nata consummatum sistit, nisi dicerem, peccatum, quod iam est, et actu datur, nunc primum fieri, et inchoari, quod quam sit expeditum, quisque facile perspexerit. Fiat adplicatio ad peccatum questionis, et clarum exadet, nullum posse dici peccatum in Spiritum S. nisi quod iam est, et actu datur, in aeternitate aeternitatis peccatum consummatum, cum alioquin desideraretur pars eius aliqua essentialis, qua sublata, peccatum amplius in Spiritum S. neque esset, neque posset idcirco dici, prout infra hoc ipsum curatius examinabimus. Quantum equidem intelligo, argumentum est hoc:

Si fieri nequit, ut peccatum in Spiritum S. sit, et tamen pars eius essentialis aliqua desideretur, sequitur, ut omne peccatum in Spiritum S. sit consummatum.

sed verum est antecedens, quia fieri illud est repugnans. E.

Fateor, me non videre, vtrum Vir Clar. diuersitatem graduum in peccato in Spiritum S., an distinctionem eius in (protenfue) inchoatum et consummatum petat hoc argumento? quia aduersus vtramque pugnavit, licet Marte aduerso, in praecedentibus. Sed quomocumque se res habeat, proficiet nihil. Si posterius, inuerto argumentum aduersus ipsum:

Si fieri nequit, ut peccatum in Spiritum S. sit, et tamen pars eius essentialis aliqua desit, sequitur, ut nullum peccatum in Spiritum S. sit (protenfue) consummatum ante perseverantiam finalem.

Sed verum est prius e concessio Viri Clar. E. etiam posterius. Consequentiam probo inde, quia peccati in Spiritum S. pars vel character essentialis est perseverantia finalis; quod ipse concedit Vir Clar. (Spec. I. §. 10. n. 4). Hoc vero sic se habente, pars essentialis aliqua peccati in Spiritum S. deest, quam diu adhuc deest perseverantia finalis; ex quo fit porro, ut ante perseverantiam finalem consummatum non fit. Atque sic iterum Vir Clar. aduersus se ipsum praeliatur, consequens syllogismi conditionalis ponentis negando, cuius et antecedens et consequentiam concessit et docuit. Attamen, inquis, peccato in Spiritum S. inchoato deest pars aliqua essentialis, scil. perseverantia finalis (Spec. I. §. 10); qua de causa hoc nec est peccatum in Spir. S., neque sic dici potest. Deest, fateor. Sed haec est ratio, cur id non dicam simpliciter: peccatum in Spir. S. sed tantum: (protenfue) inchoatum. Hoc termino enim indicatur, reliqua quidem adesse essentialia

Contradi-  
ctio com-  
missa.

Ha huius peccati, sed deesse adhuc vnicum, scilicet ipsam perseverantiam finalis. Quod si vero prius, et sensus argumenti hic est:

Si fieri nequit, ut peccatum in Spiritum S. fit, et tamen pars eius essentialis aliqua desit, sequitur, ut omne peccatum in Spiritum S. sit intensius consummatum, neque adeo dentur gradus eius,

*An gradus peccati in Spiritum S. nulli sint, quia ei pars aliqua essentialis deesse nequeat?*

negotio consequentiam. Quamvis enim essentialis sit peccati in Spiritum S. protensius consummati, veritatem caelestem, ad salutem homini adplicandam, impugnari malitiose, speciose et finaliter; protensius inchoati vero, veritatem illam oppugnari malitiose, speciose et non-finaliter, vnde nullum horum in peccato in Spiritum S. protensius inchoato, nec vllum istorum in protensius consummato potest deficere; posito tamen illo gradus peccati in Spiritum S. accidentales sunt (§. 3. et Spec. I. §. 17); quocirca gradus eius superiori deficiente, non deest pars eius essentialis. Et quia sic vere potest esse peccatum in Spiritum S., licet supremum gradum non attigerit, falsum est, omne peccatum in Spiritum S. intensius consummatum esse debere; qua de causa gradus illius adhuc salvi manent. Et quoniam sic hoc argumentum non minus, quam omnia reliqua explosa sunt, falsissime Vir Clar. dixit p. 17: *distinctionem* (peccati contra Spiritum S. in protensius consummatum et inchoatum) *in Sacra Scriptura non fundatam, et potius ei aduersam esse, et Scripturæ diametro aduersari, quemadmodum in superioribus proxime demonstrauerit.* Scripturæ enim Cl. Engestromii aduersatur quidem, et recte, quia omnia eius argumenta vana sunt et ficulnea: sed sacra Scripturæ, tantum abest, ut repugnet, ut principium eius demonstrandæ ex hac sumpserim (Spec. I. §. 10. II.).

## VII.

Verum tam inuisa est Viro Clar. distinctio inter peccatum inchoatum et consummatum in Spiritum S., ut nil habens amplius opponendum, suspiciones mouere incipiat. Pergit enim p. 17: *Fortè voluit Vir Cl. per distinctionem datam declinare difficultatem questionis de termino preceptorio inchoati a con-* *An distinctio peccati in Spir. S. inchoati a con-*  
*et eorum evitare charybdin, qui, peccatores in Spiritum S., statuunt, summato an-*  
*etiam heic viuentes, esse in statu gehennali. Verum, quamquam primo, sam det er-*  
*es superficiali, intuitu videretur, sine hac distinctione difficulter conficere rori de ter-*  
*negotium posse de termino preceptorio, et statu horum peccatorum gehennali;* *minio pre-*  
*potius Scripturæ Sacrae aduersa, quemadmodum in superioribus proxime* *ptorio?*  
*demon-*

*demonstravimus, (tam solide scilicet, vt omne demonstrationis ædificium in ruinas collapsum sit) huic difficultati ponat obicem, vs potius ansam sup-  
peditare videatur pro termino peremptorio, et statu horum peccatorum gehennali, propugnantis magis in errore perseverandi, quo certius viderint, illam Scripturæ e diametro aduersari. At quomodo, quæso, viderint, distinctionem peccati in Spiritum S. consummati ab inchoato aduersari Scripturæ e diametro? Pugnam eorum, quæ amice conspirant inter se, is tantum videt, qui phantasmatum nebulam habet pro veritatē, aut mentis inopia laborat. Quare cum nullus veritatum æstimator rectus, distinctionem meam aduersari Scripturæ, multo minus e diametro aduersari, lectis relectisque superioribus, sibi persuadere possit, nec potest inde ansam erroris de termino peremptorio aut de statu gehennali peccatorum in Spiritum S. capere. Si quis capit autem, culpa vaco, quia nullus legitimus ee necessarius nexus istorum est; propter iniuste captam vero erroris e veritate ansam, veritas reticere non debet.*

## VIII.

*Continuatio.*

Sed agedum! videamus opinionem de termino gratiæ et statu gehennali, comparatam cum distinctione mea peccati in Spiritum S., accuratius! Duo dicit Vir Clar. 1. *distinctionem istam difficultati de termino gratiæ peremptorio non ponere obicem, 2. eam occasionem dare defensoribus termini peremptorii, in errore perseverandi.* Ego vero terminum gratiæ peremptorium dixi in Theol. Reu. T. II. §. 985. *terminum vitæ, ultra quem homo conuersionis non amplius particeps reddendus est; quam definitionem adprobauit Vir Clar. p. 18. Demonstratui deinde l. c. §. 986, terminum gratiæ ante mortem nullum, at in ipso mortis momento constituendum esse; quod recte omnino et solide factum esse, pariter Vir Clar. fatetur p. 18. Transferamus hoc ad peccatum in Spiritum S. Si terminus gratiæ ante mortem nullus est, est autem in momento mortis constituendus, sequitur, vt peccanti etiam in Spiritum S. non statutus sit terminus gratiæ, quam diu viuunt, sed in morte. Sed peccans in Spiritum S. quam diu viuunt, peccatum hoc tantum inchoauit, et in impenitentia ad mortem vsque perseverans, consummat (Spec. I. §. 10.). Ergo qui versatur adhuc in peccato in Spiritum S. inchoato, ei, vt tali, terminus gratiæ statutus non est; est autem scil. in ipso mortis momento statutus ei, qui consummauit. Et quia qui versatur adhuc in peccato in Spiritum S. inchoato, ei, vt tali, terminus gratiæ statutus non est, isque adeo per gratiam Dei potest conuerti (de quo deinde pluribus), non ille similis habendus est damnatis, a conuersionis gra-*

gratia reiectis. h. e. ille non est in statu gehennali; vt locutione vtar aliorum obcuriore. Scilicet hæc sunt, Lector, quibus defensoribus termini gratia peremptorii ante mortem, et status gehennalis peccantium in Spiritum S. in errore suo perseverandi, occasio dabitur, arbitro Opponente. Sed his hoc persuadebit, qui quid distent æra lupinis? discernere nesciunt, quia erroribus istis directe, quæ docui, opponuntur.

## IX.

Posthæc Vir S. R. pugnat aduersus eos, qui peccantibus in Spiritum S. terminum peremptorium constituunt, et quomodo fieri queat, vt negato licet termino peremptorio, tamen peccatum eorum irremissibile sit? conciliare nititur. Malitiose et speciose veritatem caelestem, ad salutem homini adplicandam, oppugnantibus, h. e. peccantibus in Spiritum S. non a Deo constitutum esse terminum gratia ante mortem peremptorium, neque hinc illos versari in statu gehennali, probat p. 19. non solum e gratia diuina vniuersali per Ezech. XLIX. 23. 32. XXXIII. 11. 1. Tim. II. 4, Tit. II. 11. 12. 2. Petr. III. 9. qua dicta nullam exceptionem patiuntur, sed etiam inde, quod peccatores hi, quousque vixerint, sint viatores, quibus prædicetur verbum, et quibus offeratur gratia, quam alioquin non possent reuicere; quemadmodum Christus Phariseis et scribis, peccantibus in Spiritum S. ante impenitentiam finalem, sub ipsa redargutione prædicauerit verbum, utpote viatoribus, et hoc ipso obtulerit gratiam, cui obnitebantur; quod statui gehennali, vbi damnatis nulla offertur gratia, et gratia ianua præclusa est, competere omnino nequeat, sicut et termino peremptorio id omnino repugnet. An vero Clar. Vir hæc disputat aduersus me? Minime vero. Nunquam enim ego, peccantibus in Spiritum S. terminum gratia ante mortem constitutum esse, docui, docens potius Theol. Rev. T. II. §. 986. terminum gratia ante mortem nullum, cum vero in ipso mortis momento constitutum esse, nulla exceptione addita. Quin imo tantum abest, vt in eo dissentiam a Viro S. R. vt propter eadem argumenta, Deum peccanti in Spiritum S. quoad viuit, non potuisse terminum gratia peremptorium, defendam.

## X.

Addo autem, nec ex parte peccantis in Spiritum S. impossibile esse, vt conuertatur. Quamuis enim conuerti nequeat, quam diu veritatem caelestem irridet et impugnat, potest tamen, si irridere et oppugnare desinat. Hoc vero an fieri potest? Quidni? Habet enim cognitionem veritatum salutarium cum conuictione, quippe alias oppugnatio earum non malitiosa esset

E

(Spec.

An peccante  
in Spirit. S.  
terminus  
gratia ante  
mortem sta-  
tutus sit?

An ex parte  
ipsius possi-  
bile sit, vt  
conuertatur?

(Spec. I. §. 7. n. 1. ); nec Deus omnem gratiam Spiritus, per verbum pulsantis quandoquidem, subtrahit, licet in poenam contemptus interdum subtrahat gradum eius superiorem. Itaque licet homo eiusmodi veritatem caelestem, sine dubio propter commoda terrena (hæc enim ratio erat Iudæorum Ioh. XI, 48.), irrideat et oppugnet et extirpare nitatur: fieri tamen potest, vt aut summa calamitate pressus, vt Manasses 2. Chron. XXXIII. 10, 12, 13, aut in limine æternitatis positus, terrenaque nil amplius profutura videns, mutet sententiam, et locum det veritati, contra propriam conuictionem antea oppugnatæ, sicque peccatum fero quidem, attamen serio dolens et ex animo, conuertatur; præcipue si iudicium futurum salutemque vel damnationem æternam credat, vti crediderunt Pharisei Act. XXIII. 8. Neque hæc sententiæ obstat effatum apostoli Hebr. VI. 4. 5. 6. ἀδύνατον, dicentis, (nos, verbi doctores) τὰς ἀπὸ φανερῶν καὶ παρασκευῶν, καὶ ἀνακαίνισιν ἢ ἡλικίας, ἀσυνεχῆς ἑαυτοῖς τοῖς νόμοις τοῦ Θεοῦ καὶ παραδειγματίζοντες: licet hunc locum de peccato in Spiritum S. intelligas. Non enim peccantibus ibi regressus ad conuersionem denegatur simpliciter, sed constructione participii in fine adhibita, hypothetice, scil. quam diu filium Dei denuo cruci adfigant et in abnegatione illius, vt Messæ, persistant; vt clarissime ostendi Theol. Rev. T. I. §. 951. Sch. 2. De qua explicatione ita iudicat Clar. Engestrom p. 21: *Apposite satis Vir Cl. ostendit ex contextu sacro, abnegantem fidem, dum et quamdiu, in illa abnegatione persistat, non posse ad penitentiam renovari.* Itaque Scriptura non dissentiente, neque me a sententia dimouet opinio contraria quorundam Theologorum, in quibus nomen suum professus Bart. Botfaccus in libro: *Die Sünde in den Heil. Geist*, concione 4. p. 225. scribit: *Wöchte einer fragen: wie wenn er denn seinen Sinn änderte, und da er vorhin die Mittel des Heyls verworfen, sie hernach annehme? so antworte: Das kan er nicht. Denn wer sich so weit dem Satan ergeben, daß er nach seinem Willen so abgefeymte grausame Sünde begehret, der wird immer weiter in des Satans Stricken gefangen geführet nach seinem Willen, und ist er dergestalt im Argen verhärtet, daß er weder durch Drängung, noch durch Verheißung zu erweichen, und auf bessere Gedanken zu bringen. Satanus enim nil contra hominem potest, nisi quoad homo suggestionibus eius consensum dat. Vnde homine per gratiam Spiritus S. mentem, licet post luctam grauissimam, reuocante, irritus diaboliconatus est, et spiritus Dei malignum superat. Obduratio mentis autem licet summa sit in homine oppugnante officium Spiritus S., quam diu commoda terrena respicit, fieri tamen potest, vt animus emolliatur, cedatque*

veri-

veritati agnita et olim oppugnata, in limine aeternae felicitatis vel miseriae se iam constitutum esse, intelligens. Nulla enim in his repugnantia potest ostendi. Longe rectius igitur *Kromayer in Theol. Positivo Polém. P. II. loc. 8. §. 13 p. 169: Multoties visu venire solet, ut, qui propter lucella huius mundi momentanea, vel propter vincula studium, vel alias ob causas agnitam veritatem malitiose abnegarunt, blasphemarunt et oppugnarunt, (quae sunt propria peccati in Spiritum S. v. Spec. I. §. 7. n. 1. et §. 17.) ad frugem tamen redeant et penitentiam agant. Cum quo coniungenda sunt egregia verba Augustini Tom. X. serm. 11. de verbis domini: Ista impenitentia vel cor impenitens, quamdiu qui, que in hac carne vivit, non potest iudicari. De nullo enim desperandum est, quamdiu ad penitentiam patientia Dei adducit. Paganus est hodie: Unde scis, utrum sit futurus crastino Christianus? Iudeus infidelis est hodie: quid si cras credit in Christo? Haereticus est hodie: Quid si cras sequatur catholicam veritatem? Schismaticus est hodie. Quid si cras amplectatur catholicam pacem? Quid si isti, quos in quocumque genere erroris notas, et tanquam desperatissimos damnas, antequam finiant istam vitam, agant penitentiam, et inveniunt veram requiem et vitam in futuro. Nolite ergo ante tempus iudicare.*

### XI.

Vivus adhuc veritatis caelestis oppugnator malitiosus, h. e. homo, qui versatur in peccato in Spiritum S. protensive inchoato, licet intensive consummatum esset, desistere ab oppugnatione ista, et sic converti potest (§. 10.). Hinc infero, quod peccator respiciens talis vi misericordiae Dei uniuersalis et satisfactionis Christi pro totius mundi peccatis 1. Joh. 11, 2, remissionem peccati impetrare queat. Veram enim et sinceram penitentiam Deus sine remissione peccati non relinquit.

*Et an remissionem peccati possit a Deo consequi?*

### XII.

Ostendi, hominem, qui versatur in peccato in Spiritum S., veniam delicti a Deo impetrare posse (§. 11.). At nihilominus Christus Matth. XII. 31. ἡ κατὰ τὸ πνεῦματος, inquit, βλασφημία οὐ ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις, i. e. non potest remitti (Spec. I. §. 7. n. 3) et v. 32: ὁ δὲ δ' ἀπίστη κατὰ τὸ πνεῦματος τὸ ἅγιον, οὐ ἀφεθήσεται (i. e. non poterit remitti) αὐτῷ ἕως ἐν τέτρῳ αἰῶνι, ἔτι ἐν τῷ μέλλοντι. Quæritur igitur, quomodo hac conueniant inter se? vel ut antea quaestio proposita fuit (§. 9.), quomodo fieri queat, ut, negato licet termino peremptorio, tamen peccatum in Spiritum S. irremissibile sit? Quod ut rite diiudicemus, tam ad prædicatum, quam subiectum propositionis

*Quomodo igitur Christus irremissibile dicat peccatum in Spiritum Sanctum?*



sitionis Christi respiciendum est. Prædicatum dupliciter positum est, primo simpliciter: *non remittetur*, deinde cum addito: *non remittetur, neque in sæculo præsentis, neque in futuro*. Notes autem, velim, h. l. præter id, quod actus negatus de possibilitate neganda intelligi debeat (Theol. Rev. T. 1. §. 1394. et exinde Spec. 1. §. 7. n. 3.), sequentia. Tametsi sæculum futurum sæpe alias tempus Messæ apud doctores Iudaicos significat, prouti erudite ostenderunt *Christ. Schöttgen in Diss. de seculo hoc et futuro, Horis Hebr. et Talmud. p. 153* subtexta, et *Herm. Witsius in Diss. de seculo hoc et futuro, quæ in Miscell. T. 1. l. 2. sexta est, §. 11. seqq. in loco tamen nostro hic significatus admitti nequit; sed quia Marci locus parallelus c. III. 29 sic habet: δε δ' ἀνθρώπων ἕως τοῦ αἰῶνος, ἀλλ' ἔχει ἀφεῖναι εἰς τοὺς αἰῶνας ἡ ἀποκαταστάσις, i. e. κατακρίσις, sæculum futurum in verbis, a Mathæo relatis, ipsam æternitatem post hanc vitam expectandam, significare debet. Itaque idem est ac si Christus dixisset: *blasphemia Spiritus neque in hac vita, neque post hanc vitam homini remittetur*. Et quia duo hæc membra Marcus vnica dictione expressit: *εἰς τοὺς αἰῶνας*, colligitur ulterius hanc verborum Christi mentem esse, quod *peccatum in Spiritum S. nunquam remittatur, nec remitti queat*. Quaerito autem: *cur Christus sæculum præsens et futurum coniunxerit in Matthæo?* respondit *Lightfoot in Horis Hebr. ad Matth. l. c. p. m. 30. 35* I, errori Iudeorum hancce oppositam esse dictionem, e Rabinorum scriptis ostendens. scilicet *Iudei alia peccata in hac vita, et speciatim quidem expiationis die, aut plagis inscriptis detergi, alia vero et speciatim profanationem vel blasphemiam nominis Dei morte detergi, sicque remitti post mortem, arbitrabantur; unde Iudas Maccabæus etiam pro extinctis in peccato sacrificabat et deprecabatur 2. Macc. XII. 40. - 46. Itaque Christus errori obuiam iturus, blasphemiam Spiritus S. non tantum in hac vita, sed etiam post hanc non remitti, docet; eodem simul, expectari recte vitam futuram, contra Sadducæos innuens. Cognito iam prædicato, videndum est de subiecto: *quisquis locutus fuerit blasphemiam contra Spiritum S.* In hoc aut hic est sensus Christi: *quod quisquis peccauerit in Spiritum S. licet seriam egerit penitentiam, nunquam possit remissionem impetrare; aut hic: quod quisquis peccauerit in Spiritum S. ita, ut in hoc facinore ad vite finem perseveret, is nunquam possit remissionem impetrare*. Sed prior explicatio non potest menti Christi consentanea esse, quia Christus neminem ad se venientem elicit Ioh. VI. 37. Conficitur igitur, ut secundum explicationem posteriorem verba Christi capienda sunt.**

sint. Atque sic vsus distinctionis consummati peccati in Spiritum S. ab *vbi vsus elu-*  
 inchoato in concilianda contradictione obiecta intelligis. Nam Christus *cet distincti-*  
 de illo, qui in peccato in Spiritum S. ad vitæ finem perseuerat, locutus, *onis peccati*  
 peccato in Spiritum S. (protensue) consummato omnem remissionem et *in Spirit. S.*  
 remissionis possibilitatem denegat (Spec. l. §. 10.), idque rectissime, quia  
 pœnitentiæ et remissioni post mortem locus non superest. Ego vero  
 peccanti in Spiritum S. possibilitatem pœnitentiæ et cum ea connexa re-  
 missionis tribuens (§. 10. II.), de eo locutus sum, qui viuus adhuc est,  
 quique proinde peccatum hoc tantum (protensue) inchoauit (Spec. l. §. 10.):  
 Id quod iisdem propemodum verbis docuit *Kromayer* in Theol. Positiuo-  
 Polem. P. I. art. 8. p. m. 408. scribens: *Ante omnia inter peccatum hoc*  
*(in Spiritum S.) vt inchoatum est, et vt consummatum, suisque numeris*  
*omnibus completum, distinguendum censemus. Irremissibile vocatur, qua-*  
*renus requisitorum nullum deest, (scilicet finali quoque perseuerantiã*  
*accedente).*

## XIII.

Sed quomodo, quaeso, Vir S. R. soluit hunc nodum propositum (§. 9.)? *Comparatio*  
 Postquam peccantibus etiam in Spiritum S. non omnem denegari gratiam sententiæ  
 diuinam, probauerat, vt antea enarratum dedi (§. 9.), sic pergit p. 19: *Verum auctoris et*  
*est, peccatum in Spiritum S. pronuntiarı irremissibile, etiam in hac vita. Opponentis*  
*Sequitur hoc ex natura ipsius peccati quaestioni, quod sine intervallo con-*  
*stanter reiciit omnia salutis media (vid. Dissert. cit. de pecc. in Spiritum*  
*Sanctum p. 66. 67. 68. 69.), non dependens a statu gehennali per terminum*  
*Peremptorium, cui enim gratia peccatores hi obniterentur, omni ipsis gra-*  
*tia preclusa? Et pertinent huc etiam verba p. 25: Certe, profecto qui ma-*  
*litiöse oppugnaverit veritatem Evangelicam, et ab hac oppugnatione desti-*  
*terit, oblatamque gratiam apprehenderit, nullo modo peccatum in Spiri-*  
*tum S. commisit, quandoquidem ex interna huius peccati forma sit quo-*  
*que, vt constanter omnia salutis media reiciat. Vid. Reuerendiss. Jae.*  
*Benzelii Rep. Theol. Holm. 1737. pag. 99. neque enim quaeris malitiosa op-*  
*pugnatio hic locum inuenit, sed talis, qualis erat Scribarum et Pharisaeo-*  
*rum. Itaque ex mente Viri Clar. peccatum in Spiritum S. est irremissi-*  
*bile, quia ad formam, essentiam vel naturam huius peccati pertinet, omnia*  
*salutis media constanter. h. e. ad finem vitæ vsque (deficit enim alias con-*  
*stantia) reiciit; qua posita reiectione, remissio peccati impetrari nequit,*  
*licet nullus adsit terminus peremptorius vel status gehennalis. Sed quid*  
*aliud hoc est, quam cum dico: peccatum in Spiritum S. est irremissibile,*  
*quia*

quia homo in eodem ad finem vitæ perseverat (Theol. Rev. T. I. §. 1. 95), vel: peccatum in Spiritum S. consummatum (protensivè) est irremissibile? Est enim (protensivè) consummatum per perseverantiam finalem (Spec. I. §. 10.), vel, ut loquitur Vir Clar., per constantem omnium salutis mediorum reiectionem. Hactenus igitur dissensus non est. Sed est tamen, inquis, in eo, quod Vir Clar. oppugnatorem veritatis evangelicæ malitiosum, ab hac oppugnatione desistentem, oblatamque gratiam apprehendentem, et quod fit inde, remissionem peccati præcedentis consequentem, peccatum in Spiritum S. commississe, perneget; ego vero affirmem. Nec in hoc est, nisi de voce. Nam quia ego non minus, quam Vir S. R. essentielle peccati in Spiritum S. esse perseverantiam finalem, doceo (Spec. I. §. 10.), nego pariter, quod oppugnatorem malitiosum veritatis cælestis, desistens ab oppugnatione, et ad frugem rediens, rectè simpliciter peccatum in Spiritum S. patrasse dicatur, doceoque tantum, quod inchoaverit illud peccatum, vel quod versetur in peccato in Spiritum S. inchoato, quoniam aliquod essenziale huius peccati, positus licet reliquis, adhuc deest. Qui loquendi modus bonus et rectus (Spec. I. §. 10.), nec apud Theologos inauditus est (Spec. I. §. 11), licet eo extendi non debeat, quod peccatum in Spiritum S. inchoatum et consummatum duæ species perfectæ peccati in Spiritum S. sint. Nam quod inchoatum non habeat omnia peccati in Spiritum S. simpliciter dicti essentialia, hoc ipso termino: *inchoatum* indicatur.

## XIV.

Contradictio  
commissa.

Interea notam ego contradictionem in verbis Viri Clar., distinctionem peccati in Spiritum S. inchoati a consummato reiicientis, deprehendo. Scribit enim p. 20. et 25: *Peccatum Phariseorum atque Scribarum perfectum fuit et consummatum, etiamsi adhuc viverent*; et addit tamen p. 25: *ex interna huius peccati forma est quoque, ut omnia salutis media reiiciat* (sc. peccator; peccatum enim reiicere nequit) *constanter*, h. e. ad ultimum vitæ momentum. Nam si ex interna forma peccati in Spiritum S. est, ad ultimum vitæ momentum omnia salutis media reiicere; in Phariseis, quo tempore miracula Christi diabolo tribuebant, et sic blasphemabant spiritum, non fuit peccatum in Spiritum S., nedum consummatum; quia isto tempore momentum vitæ ultimum nondum attigerant. Contra si Pharisei, quo tempore miracula Christi blasphemarunt, eo consummarunt peccatum in Spiritum S., falsum est, ex interna huius peccati forma esse, ut salutis omnia media ad ultimum vitæ momentum reiiciantur; nisi forte ens perfectum et consummatum esse, cuius formæ internæ deest aliquid, quod est absurdum, existimes. Quod simili exemplo ostendam. Spatium XXIV horarum est ex interna forma diei naturalis secundum nostram commensurationem. Hoc igitur posito, spatium XIV horarum non potest esse dies perfectus consummatusque. Si id vero est dies consummatus, falsum

sum est, spatium XXIV horarum ex interna forma diei esse. Dicam adhuc aliter. Secundum dictum Viri Clar. *Pharisæi, cum adhuc viuerent, consummarunt peccatum in Spiritum S.*, et tamen formæ internæ peccati eorum in Spiritum S. tunc temporis adhuc defuit aliquid, sc. ipsa perseverantia finalis, in morte accedens. Itaque ex mente Viri Clar. ens potest esse consummatum, et formæ illius internæ tamen aliquid deesse potest; quod contra primum principium cognoscendi: *impossibile est, idem simul esse et non esse*, impingit; quodque ipse Vir Clar. falsum docet esse, scribens p. 17: *parte aliqua essentiali peccati in Spiritum S. sublata, peccatum amplius in Spiritum S. neque esse, neque idcirco dici potest*. Itaque Vir Clar. ut se contradictionibus commissis ante expediat, quam oppugnet me ulterius, aut mihi tales, ubi sunt nullæ, obiciat, videbit.

## XV.

Sed filium disputationis abrupto iterum, ad id, quod ratio officii et temporis postulat, progressum facturus. Egregie diuus Paulus, *recordari ductorum doctorumque nostrorum, qui nobis verbum Dei locuti sint, illorumque* *in hoc mundo in hoc mundo adspicientes, fidem eorum imitari nos iubet* Hebr. XIII, 7. In quem vero nos potius oculos conuertamus, quam in principem Theologorum nostræ ecclesiæ, MARTINVM LVTHERVVM, virum, qui Cimmeriis tenebris euangelii veritatem incredibili labore in lucem protraxit; qui agnitam in conspectu Imperatoris summorumque Germaniæ Principum profiteri, non dubitavit; qui ab Imperatore et Pontifice proscriptus, nec animum despondit, nec opprimi potuit; qui denique de salute ecclesiæ atque reipublicæ sine exemplo meritus est? Hic enim tertius ille Elias est, qui qua animi constantia veritatem euangelii de Christo, deque iustitia et salute, per fidem in ipso quærenda, proposuerat et vindicauerat viuens, eadem morti proximus veritatem profitebatur, salutem æternam a Deo petens *per Iesum, ab hostibus oppugnatum, a se vero prædicatum, amatum, laudatum* (v. Seckendorff Historie des Lutherthums lib. 4. p. 2602.). Sed dies XVIII. Februarii præsentis anni sæculo alteri a Luthero denato finem imposuit; omnibus merito, qui Lutherum duces sequuntur, obitum eius beatum in memoriam reuocans. Quare ne pietatis laudæ fociis religionis, qui iusta exsoluerunt Viri memoriæ, cedamus, obitum eius beatum in Gymnasio nostro celebrari publice, nostrisque in exemplum imitationis proponi, fas esse, arbitratus sum.

Memoria obitus b. Lutheri celebranda.

## XVI.

Perfurgentur autem hoc pietatis officio quinque bonæ indolis et spei iuvenes, scholastica subfellia propediem cum academicis commutaturi, ita vt

I. IOHANNES HENRICVS SCHMID,

Buttstadiensis,

*Lutherum herodem,*

II. BENIAMIN GOTOFREDVS REYHER,

Zottelstadio-Vinariensis,

*Lutherum martyrem* proponat. Deinde cum nouissimi magnorum virorum sermones non sine causâ memoratu digni videri soleant,

III. IO-

Syllabus oratorum, iusta ei exsoluentium.

## III. IOHANNES FRIDERICVS VVLPIVS,

Vinariensis,

de Lutheri sermonibus nouissimis, quos hostes eius Pontificii ex odio, non ex iusta causa detorquent, sed

## IV. IOHANNES AVGVSTVS LÛTTICHER,

Schwansea-Vinariensis,

de reliquis sermonibus vltimis, quos Lutherus partim in cœna postrema, partim post eam moribundus habuit, sermocinabuntur. Denique

## V. DAVID HENR. GOTTHILF STEINMÛLLER,

Lehnstadio-Vinariensis,

mortem Lutheri tam fabulosam, a Pontificis Romani adfœcis in Italia confictam (cuius rei autographum in tabulario STIRPIS ERNESTINÆ Vinariensi Reg. H. f. 630. n. 197. in perpetuam rei memoriam adseruatur), quam veram, quæ Islebiæ ante hos ducentos annos contigit, considerandam, imitandamque hanc posterio rem exponet. Quæ quidem iusta ita cras hora IX matutina in auditorio Gymnasi maiore exsoluentur Viro, in concilio cœlitum iam triumphanti, vt oratione prosa Gallica primus, Germanica quartus, Latina quintus, carmine Latino secundus, Germanico tertius vtantur.

## XVII.

Inuitatio.

Fauete igitur, OPTIMATES, MÆCENATES, FAVTORESQVE et AMICI MV SARVM VINARIENSIVM, si quid apud VOS valent merita Lutheri immortalia, si maximi faciendam, quam imitando non adsequimur, virtutem, arbitramini, si dato diuinitus beneficio neglectu indignos VOS reddere, religioni habetis, si denique iuuenum ingenuorum studia fusque deque habere dedecet, fauete, inquam, pietati scholasticæ et instituto nostro, solemnique hæc parentalia, communi doctori nostro dicanda, sed cum valedictionibus Candidatorum academiæ et gratiarum actione secundi pro mensæ gratuitæ beneficio miscenda, præsentia Vestra illuminate. VOS autem, academiæ Candidati, voce hortor vltima, vt in vitam et merita Lutheri aliorumque magnorum virorum et eminentium, tanquam in speculum, intueamini, et quantum coniniti animo, quantum labore (si discendi labor potius, quam voluptas est) contendere potestis, tantum efficiatis, quo si minus imitatione tantam ingenii, virtutis, gloriæ præstantiam consequi potestis, voluntate cœrte quodammodo in laudem vestram communemque salutem patriæ accedatis. Nam vt bene Tacitus in vita Agric. c. 46. dixit: *vt vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt; forma mentis æterna, quam tenere, et exprimere non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis.*

Vale, Lector.

DABAM VINARIÆ DIE II. OCT. M DCC XLVI.

Index.

- 1) Hafaus de Tribus scitu creditus necessariis. P. I.
- 2) \_\_\_\_\_ P. II.
- 3) \_\_\_\_\_ P. III.
- 4) Lampe de Inspiratione.
- 5) Nonnen de Donis Spiritus S. Extraordinarius P. I.
- 6) \_\_\_\_\_ P. II. (Rel. V.). Tom II Theolog.
- 7) \_\_\_\_\_ de Turibus Satanae veris & pratenfis in gong humanura.
- 8) Sirichhoff de Christo homine obligatione legum div. anteccd. & externa soluto.
- 9) Nonnen de Summo Dominio Scandinaviae Galtati in Universum.
- 10) Scheele de Prostantia Salutis humanae per Christum parte pro felicitate concreatâ in statu integ.
- 11) Nonnen de Fide in Nomen Domini nostri, Iesu Christi, Filii Dei.
- 12) Carporii Illustrationis apologeticae Peccati in Spiritu Sanctum Specimen I
- 13) \_\_\_\_\_ Spec. II
- 14) \_\_\_\_\_ Spec. III.
- 15) \_\_\_\_\_ Spec. IV.
- 16) \_\_\_\_\_ Spec. V.
- 17) \_\_\_\_\_ Spec. VI.
- 18) \_\_\_\_\_ Spec. VII.
- 19) Observationum contra Carporii sententiam de Peccato in Sp. S. Pars I.
- 20) Schwarz de Sensuum in dijudicandâ Transubstantiatione Missivâ Testimonio.
- 21) Nonnen de Auctâ Beatorum gloria post consummationem Mediationis.
- 22) Lampe de Poenarum Aeternitate. Pars dogmatica.
- 23) \_\_\_\_\_ Pars elenctica.
- 24) Nonnen de Debus Tabernaculi typis coelestium.
- 25) Cameralius de Luctâ precum.
- 26) Meier de Discrimine ejo quod Naturale & Morale dicitur in Theologia.
- 27) Serpili Oeior Theologorum.
- 28) Zacharia de Fraternitate Christianâ.
- 29) Endersig de Prajudiciis practicois Christianismo noxiis.
- 30) Kou Weisoffen de Prudentiâ nupturientium gamicâ.




*[Faint, illegible handwritten text on aged paper, possibly bleed-through from the reverse side.]*














*Divino* certum esse putant plerique, bene-  
 otis literaliter probari non posse, sed tamen  
 m, aliorumqve populorum piè introdu-  
 nde patet, qvòd aliquot Exempla Patriar-  
 rum dantur, ubi matrimonialis benedictio  
 C. XXIV, 60. Ruth. IV, 11. Tob. IX, 9. Et  
 ithalamium pepigit Ecclesiæ Sponsæ Chri-  
 tor Leo ad omnia matrimonia constituit  
 cram benedictionem, sive ut Græci vocant  
 , ut sine hâc nullum voluerit esse ratum  
 De *Fure* quidem *Romano* statuunt alii, hanc  
 on fuisse necessariam, aut de matrimoniî  
 oribus *Christianorum* est vetustissimum in-  
 ve temporibus nostris ea *nunc necessaria*  
 ritò, ut adeo inanis illa disputatio, hanc  
 ecclesiæ non necessariam aut de *Substantia*  
 Ambabus enim manibus hoc conceditur  
 is, sed mores prædominantur. *Quod totus*  
*ego non audeo damnare*, ait *Baldus* auriga  
 do:

*sponsus, sacras ut firmet ad aras*  
*tam thalami Numine teste fidem.*

Qv. *An nuptias die Dominica instituere li-*  
 pislime Sabbathò nuptias celebrari, autor  
 nag. Jud. c. 15. p. 323. Idqve ideo, ut eò  
 pitus, & majore Sabbathum honore afficia-  
 noctè concipiuntur, ut plurimum in præ-  
 e indolem, & in sapientum Discipulos eva-  
 primis si bonæ & puræ interveniant cogi-  
 n coitûs voluptas, qvàm Sabbathi cultus  
 ir. Sanior mens Christianis antiqvis etiam  
 , qvi, qvâ erant in Deum pietate, solennia  
 aâ nuptiis agendis exemerunt, & in hunc  
 usqve

*Die Domi-*  
*nicâ Copu-*  
*latio, non*  
*cômportaria*  
*Nuptialis*  
*fieri potest.*